

ducere missarum numerum in beneficiorum fundatione constitutum: cujus rei hæc afferri potest ratio, quod scilicet non immerito dici posset acceptatum fuisse missarum onus per quemdam quasi contractum utrinque obstringentem:

« Fundatio, et dotatio illa habet se per modum quasi contractus ultro citroque obligatorii, seu donationis sub modo: quam cum episcopus admiserit, et provisus, dum institueretur, non recusaverit, non potest modo onus detractare; » sunt hæc ipsa Fagnani verba, quibus in rem nostram utitur in sæpe cit. *Commentar.* ad cap. *Ex parte*, n. 24. De constitutionibus. Consensum his est congregationis rescriptum redditum relationi, quam olim, occasione visitationis sacrorum liminum, exhibuit episcopus Burgi S. Domnini. Rescriptum die 11 Maii 1630 signatum apparet, et legitur lib. *xiv Decretor.*, pag. 288, a terg. « Sacra, etc., libellum remisit ad ordinarium Burgi S. Domnini, qui, regionis more perspecto, » supradicta missarum celebrandarum onera « non tamen vigore contractus, vel conventionis suscepta, aut in fundatione apposita, » ad proportionatam reddituum quantitatem « pro suo arbitrio, et conscientia moderetur. » Nec difformes sunt reliquæ in similibus questionibus editæ resolutiones; uti videre est in *Maceraten. oneris missarum* 13 Novembris 1687, lib. *lxxxiii Decretor.*, pag. 636, et in *Montis Politiani* 3 Septembris 1716, lib. *lxxvi Decretor.*, pag. 429. Cumque Nos ipsi, aliqua etiam adhibita diligentia, perlustraverimus decreta post concilium Romanum a congregatione emanata, ut agnosceremus an ipsa, exceptas non videns missas per contractum acceptatas a reducendi facultate per sæpe dictum concilium tributa, novum sibi systema, novamque judicandi regulam statuisset, certo deprehendimus, quoties suborta fuit controversia super missarum reductionibus per generales ordinum factis in vim prædictæ facultatis a concilio Romano ipsis tributæ, ex eo quod ad minorem numerum reducerint missas per contractum acceptatas, congregationem nullas irritasque hujusmodi reductiones declarasse: quemadmodum videre est in *Romana reductionis onerum missarum* 18 Aprilis 1733, lib. *lxxxiii Decretor.*, pag. 165, a terg.; in *Faventina oneris missarum* 27 Februarii 1734, lib. *lxxxiv Decretor.*, pag. 94, a tergo; in *Nolana reductionis missarum* 14 Martii 1739, lib. *lxxxix Decretor.*, pag. 53 et 73, a terg. Quapropter tuto concludi posse censemus episcopos, quibus facultas est reducendi missarum onera vel ex concilii Romani ampliacione, vel ex sæpius memorata instructione, non posse missarum numerum in contractu præscriptum, ac vicissim acceptatum minuere, seu reducere, quamvis imminuti fuissent redditus ob eum finem assignati; sed hæc forte proposita facti specie, oportere ut iudicis partes assumant, investigantes an talis sit quæ obvenit reddituum imminutio, ut juxta recepti juris regulas, sufficiat ad rescindendum contra-

ctum, vel saltem ad eundem ad justitiam æquæ normam redigendum: quod etiam satis recte tuetur Monacell. tom. IV *Formul. legat.*, pag. 83, edit. Rom. pag. 111, ed. Ven. n. 466.

« Postquam demonstratum est quænam missarum onera reduci possint, disserendum superest de causis ob quas reductionem peragere liceat; nec non de circumstantiis, in quibus locum sibi vindicare potest reductio, ac de quodam quasi limite, ultra quem protendi nequit ipsa reductio: uno verbo, de reliquis omnibus, quæ necessaria sunt ad hujusmodi opus rite recteque absolvendum, et ne peractæ ab episcopis reductiones censuris molestisque investigationibus obnoxie fiant.

« Causas itaque, ob quas fas est reductionem aggredi, pierumque, imo fortasse semper suppeditat decrementum reddituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati; aliquando vero adaucta per episcopos in suis synodis missarum eleemosyna: quo nimirum fit ut, quamvis initio id quod constituit fundator in præscripti oneris supportationem ad illius implementum satis haberetur, nihilominus, auctis subinde missarum eleemosynis, impar deprehendatur, nec ullus reperiri valeat sacerdos qui, oblata juxta veterem taxam eleemosyna, missam celebrare velit; proindeque is cui onus est curandi hujuscemodi missarum celebrationem, si velit imposito sibi oneri satisfacere, cogatur sacerdotibus celebraturis pinguiorem eleemosynam largiri; et has quidem causas indigitavit quoque Tridentinum concilium, præcitat. cap. 4, sess. xxv, *De reformatione*.

« Sed quamvis præmonstratæ causæ non modo re ipsa adsint, sed etiam fuerint plene comprobatæ, non tamen illico fas est missarum perpetuarum reductioni manus admove. Diximus autem missarum perpetuarum: cum enim res est de missis manualibus, pro quibus nimirum celebrandis receptæ sunt eleemosynæ, si earum celebratio neglecta sit, locum obtinere non potest reductio; sed condonatione, aut compositione opus est, quæ, uti supra monuimus, supremo Sanctæ Sedis iudicio et auctoritati reservatæ sunt. Disserendo itaque de missis perpetuis, ut hæc jure reducantur, aliquid amplius inspicere opus est; nimirum, an adsit quispiam qui contingentem reddituum imminutionem supplere teneatur; si enim inveniatur aliquis hæc obligatione obstrictus, non debet episcopus de missarum reductione peragenda cogitare, sed potius hunc cogere ut quoad contingit decrementum suppleat et emendet; quo injuncta a pio fundatore missarum onera cumulate implentur. » Sic Bened. XIV, *De synod. dioces.*, lib. *xiii*, cap. ult., n. 20 et seqq.

## ARTICULUS III.

*Missæ quoad obligationem quam habent eam applicandi parochi et beneficiati.*

## SUMMARIUM.

1. Omnes parochi jure divino tenentur applicare sacrificium missæ pro suis parochianis, cum hæc

tamen distinctione, quod illi qui habent pingues redditus, tenentur applicare quotidie, et illi qui habent redditus tenues, saltem diebus festis, et tunc nequeunt illam applicare pro se, nec pro aliis gratis, et multo minus pro stipendio. — 2. Licet concilium Tridentinum non exprimat quoties parochi teneantur applicare missam pro suis ovibus, habetur tamen ex pluribus declarationibus S. congr. ejusdem Concilii, et ex confirmatione Innocentii XII. — 3. Afferitur ad id declaratio diætæ sacre congreg. Concilii in *Lucana*. — 4. Afferuntur plures aliæ ejusdem sac. congr. declarationes, et signanter in *una Hydruntina*, in *una Romana*, in *una Meliten.*, in *una Cremonensi*. — 5. Afferitur adhuc alia ejusdem sac. congr. Concilii declaratio pro illis parochiis, qui ita tenues habent redditus, ut inde nec congruum habeant. — 6. Afferitur ad id expressa confirmatio, et declaratio Innocentii XII. — 7. Ex hæc Innocentii XII constitutione sequitur manifeste, parochos esse ad id strictissime obligatos, ut etiam ex post pluries a dicta sacra congregatione Concilii fuit resolutum, præsertim in *Pampilonensi*, et in *Camerinensi*, ac sæpe alibi. — 8. Unde omnino est sic semper tenendum, nulla habita ratione ad tenuitatem congruæ parochorum, quia excusatio ista fuit semper rejecta, et signanter in *una Narniensi*, quæ afferitur. — 9. Imo, ut refert, et tenet Ursaya, ubi est consuetudo, quod parochi celebrent ad benedictiones nuptiales impertiendas, et pro sepeliendis mortuis, non possunt ipsis diebus pro eadem missa eleemosynam accipere; sic pluries declaravit sacra congregatio. — 10. Assignatur pro scrupulosis, quinam sint redditus pingues, ratione quorum tenentur applicare quotidie, et quinam sint redditus tenues, ratione quorum tenentur applicare solum diebus festis. — 11. Nunc autem circa prædicta attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV. — 12. Varia quoad hoc notanda ad n. 14. — 15. Beneficiatus, seu capellanus tenetur applicare sacrificium pro beneficii fundatore, licet non reperiatur explicite expressum, quoties fundator non declaravit relinquere sacrificii applicationem in libertate celebrantis. — 16. Maxime, si beneficius sit ex recentibus, et redditus assignati excedant, et adæquent id quod ex jure vel consuetudine solet erogari pro onere applicationis in determinatis locis præscripto. — 17. Si vero redditus assignati non adæquent consuetum stipendium, quod erogari solet pro onere missarum cum applicatione, sed sint longe inferiores, vel beneficius sit ex antiquis, in quibus pro penuria sacerdotum intendebatur principalis commoditas populi, honor loci, vel templi, vel sancti, multi tenent capellanum, seu beneficiatum non obligari ad applicationem sacrificii. — 18. Capellanus obligatus ad missam quotidianam, si obligatio referatur ad locum, ut si dicatur, *celebretur quotidie missa in tali ecclesia, vel tali altari*, tunc sine ulla vacantia tenetur celebrare quotidie, vel per se, vel per alium; si obligatio referatur ad personam sacerdotis, tunc etiam sine ulla vacantia tenetur quotidie celebrare, sive per se, sive per alium. — 19. Si vero obligatio quotidie celebrandi sit mere personalis, ita ut teneatur per se celebrare, tunc titulo honestatis, vel reverentia sacramenti, aut alia justa causa, potest aliquoties abstinere, et etiam semel in hebdomada. — 20. Diebus tamen quibus, ut supra, licite potest capellanus a celebratione abstinere, non potest missam pro se ipso, vel pro aliis, præterquam pro fundatoribus celebrare, et tanto minus pro hujusmodi celebratione stipendium accipere. — 21. Dantur ad id decreta sac. congr. Concil. — 22. Beneficiatus, cui impositum est onus ut debeat continue singulis diebus missam celebrare, et si cessaverit eam celebrare, teneatur v. g. solvere duos Julios pro qualibet missa non celebrata, non potest unquam vacare, nisi suppleat per alium. — 23. Non tenetur tamen neque per alium celebrare

tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies. — 24. Ex concilio autem provinciali Mediolanensi capellanus, seu beneficiatus deobligatur a celebrando, et supplendo per alium ratione infirmitatis, etiamsi per mensem ægrotet. — 25. Capellanus, qui habet onus celebrandi singulis annis unum anniversarium triginta vel quinquaginta missarum pro anima fundatoris, non tenetur facere celebrare missam cantatam. — 26. Capellanus non tenetur missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatæ est otiosum et infructiferum sine sua culpa. — 27. An obligatus faciendi celebrare missas, si ad id data eleemosyna, postea dubitet, vel sciat non celebratas, teneatur iterum, etc. — 28. Additur synopsis supra allatæ const. Ben. XIV ad n. 45. — Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ubi nonnulla ad rem, ad num. 52.

(1. Omnes parochi jure divino tenentur applicare sacrificium missæ pro suis parochianis; cum hæc tamen distinctione, quod illi qui habent pingues redditus, tenentur applicare quotidie, et illi qui habent redditus tenues, saltem diebus festis, et tunc nequeunt illam applicare pro se, nec pro aliis gratis, et multo minus pro stipendio, ut deducitur in primis ex concilio Tridentino sess. 23, *De reform.*, cap. 1, sic expresse dicente: « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, etc., » ubi nota quod non dicit concil. « coram illis offerre, » scilicet ut audiant, sed dicit « pro illis offerre, » id est applicare; adeoque ex concilio clare constat, parochos omnes teneri jure divino applicare missam pro ovibus suis. (2. Et licet concilium non exprimat quoties parochi teneantur applicare missam pro suis ovibus, habetur tamen ex pluribus declarationibus sacre congreg. ejusdem Concilii, et ex confirmatione Innocentii XII, quæ ut omnibus consentit, hic ad litteram subnectuntur.

*In Lucana.*

(3. « Cum præcepto divino iis quibus animarum cura commissa est mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, sæpe alias sac. congreg. Concil. censuit, parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festis. Idem nunc censet quoad parochos istius civitatis, et diocesis, hoc insuper addens, ut detractantes E. V. pro suo pastoralis zelo compellere non gravetur. Hanc sac. congr. sententiam E. V. significo, eique manus humillime deosculor.

« Romæ, 10 Maii 1681.

« Humillimus, et addictissimus servus,

« Fr. cardinalis COLUMNA.

« Stephanus archiepiscopus BRANCATIUS, sacre congr. secret. »

(4. Sic pariter jam fuit declaratum in *una Civitatis Castellana* 26 Augusti 1628; in *una Hydruntina* 13 Febr. 1639; in *una Romana* 17 Julii 1649; in *una Clusin.* 5 Julii 1670, et iterum in *una Meliten.* 10 Maii 1692, et



7 Junii ejusdem anni in respons. ad quartum; et in una Cremonen. 20 Decemb. 1692. In quarum causarum tertia propositione, in qua recursum habuit archipresbyter Rosarni a decreto episcopi, quo astringebatur ad applicandum sacrificium pro populo in omnibus Dominicis et festis diebus, et partibus informantibus, propositum fuit dubium: « An decretum episcopi super applicatione sacrificii pro populo omnibus Dominicis et festis diebus sit observandum? » responsum fuit *Affirmative*.

(5. Quia vero adhuc aliqui parochi dubitant an vi concil. Trident. et præfatorum decretorum tenerentur missam applicare pro suis ovibus, etiam illi qui ita tenues habent redditus ut inde nec congruam habeant? Eadem sacra congregatio 10 Martii 1692 respondit etiam hos teneri, ita ut dictis diebus aliud stipendium, vel eleemosynam pro missa accipere non possint, sive habeant congruam, sive non, ut patet ex præcisibus verbis decreti pro majori robore, et inviolabili observantia ab Innoc. XII specialiter confirmati 24 Aprilis 1699 per sequentem suam constitutionem:

« INNOCENTIUS PAPA XII.

« Ad futuram rei memoriam.

(6. « Nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum emanavit super quodam dubio pro parte venerabilis fratris moderni episcopi Pistoriensis et Praten. congregationi hujusmodi proposito, decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: « Cum parochi Ecclesiarum Pistorien. et Praten. inter varias opiniones doctorum « involuti, negligant in dies celebrationem, « et respective applicationem sacrificii pro « populo juxta dispositionem sacrorum canonum, et conc. Trident., episcopus ad « consulendum, nedum propriæ, verum « etiam dictorum parochorum conscientiam, « supplicat declarari an dicti parochi te- « neantur omnibus diebus festis applicare « sacrificium pro populo, sive habeant con- « gruam, sive non? » Die 14 Febr. 1699, S. cong. emin. S. R. E. card. concil. Trid. interpretum censuit dandas esse resolutiones alias hac de re editas, et signanter in nullius Nonantulanae emin. abbati 30 Augusti 1689, tenoris, ut infra: « Cum præ- « cepto divino iis quibus animarum cura « commissa est mandatum sit pro ovibus « suis sacrificium offerre, sæpe alias sacra « congregat. Concilii censuit, parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare: « et præcipue in dubio applicationis sacrificii proposito, et respective resolutio sub die 10 Maii 1692, his præcisibus verbis concepto: An parochus missam celebrare teneatur, et sacrificium applicare pro parochianis in diebus Dominicis et festis, sive habeat congruam, sive non? Sac. congreg. « juxta alias declarationes, censuit teneri, « nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere, ac proinde idem nunc re-

« spondendum esse censuerunt eminentissimi Patres quoad parochos Nonantulanae diocesis, addentes insuper, quod E. V. « pro suo pastorali zelo, detrectantes parochos compellere non gravetur, etc.

« J. cardinalis SACRIPANTES, præfectus. »

Loco ✕ sigilli.

« Cum autem, sicut dictus episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmiter consistat et servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocínio communiri plurimum desideret; Nos specialem ipsi episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibuscunque excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes: supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, decretum præsertim auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ congregat. Cardinalium. Decernentes easdem præsententes litteras, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: illis, ad quos spectat, et pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 24 Aprilis 1699, pontificatus nostri anno octavo.

J. F. card. ALBANUS. »

(7. Cum autem in hac constitutione jubeat Pontifex, sic in præmissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, judicari et definiri debere, et declarat irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, sequitur manifeste, parochos sic strictissime esse obligatos, uti etiam exposui pluries a sacra congregat. Concilii fuit resolutum, præsertim in Pampilonen. 17 Novemb. 1702 et 31 Maii 1703, et in Camerin. 28 Jun. 1704, ut refert Merati, t. 1, fol. 331, sub n. 3, ubi plura habet ad rem. (8. Unde omnino est sic semper tenendum nulla habita ratione ad tenuitatem congruæ parochorum, quia excusatio ista fuit semper rejecta et signanter in Narniensi, ubi cum nonnulli parochi illius

diocesis, qui, nisi tenuissimam congruam pene scutorum viginti, aut triginta non habent, recursum habuissent ad sacram congregat. pro aliqua dictorum decretorum moderatione, et exposuissent a parochianis tanquam miserabilioribus congruam augeri non posse et quod congruæ alimentariæ nunquam derogatum censetur, quia qui altari servit de altari vivere debet, et bovi trituranti os claudendum non est et ideo aliqua mitiori provisione cum ipsis indulgendum esse postulassent, ne parochiales illæ et cultus divinus desererentur, aut cogentur facere quod non decet, adhuc prodiit rescriptum, quod servare deberent decretum emanatum in D. Nonantulana. Sic sibi significatum fuisse de mense Julii 1711 ab episcopo illius civitatis refert Monacell., tom. IV, in Supplem. ad III tom., n. 121. Ratio autem ratione decretorum est, quia parochus, non ratione sustentationis, sed ratione officii, tenetur sacrificium pro populo applicare. Nam sicuti qui ducit uxorem pauperem sine ulla vel parva dote, se excusare non potest, nec se subtrahere ab oneribus matrimonii, ut docent communiter doctores, ita qui acceptat parochiam exilis redditus, tenetur onera parochi injuncta adimplere; argumentum etenim a matrimonio carnali ad spirituale optime concludit, cum pari passu ambulent et parochus sibi imputare debet, si sponsam pauperem acceptavit, ut perdocte tenet Pirhing. in *Jus canon.*, lib. III, tit. 23, num. 19. (9. Imo ut refert et tenet Ursaya, *Instit. crim.*, lib. 1, tit. 20, § 3, n. 137, ubi est consuetudo, quod parochi celebrent ad benedictiones nuptiales impertiendas et pro sepeliendis mortuis, non possunt ipsis diebus pro eadem missa eleemosynam accipere: sacr. congregat. in *Civitate Castelli* 8 Augusti 1648, lib. xviii *Decret.*, fol. 476; in *Aretin.* 18 Aprilis 1629, lib. xiv *Decret.*, fol. 78, et in *Fanen.* 1 Septembris 1620, lib. xiv *Decret.*, fol. 133.

(10. Ne vero a scrupulosis dubitetur an sui redditus sint pingues vel tenues, et sic an obligentur applicare quotidie, vel solum diebus festis, notandum et sciendum est quod illi parochi dicuntur habere redditus pingues, et sic obligati ad quotidie celebrandum pro ovibus suis, qui habent tales ac tantos redditus, ut ex iis possint honeste juxta suam qualitatem, consideratis considerandis, sufficientissime se sustentare, licet ultra honestam suam sustentationem parum, aut nihil superflui remaneat. Illi autem censentur habere redditus tenues, et consequenter obligati applicare pro suis ovibus solum diebus festis, qui ex iis non possunt se sufficienter, et honeste sustentare juxta suam qualitatem. Sic communiter doctores.

(11. Nunc autem circa prædicta attendenda est sequens novissima dispositio Benedicti XIV:

« Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, cunctisque locorum ordinariis per Italiam constitutis.

« BENEDICTUS PAPA XIV.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Cum semper oblatas Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sinceræ nostræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero majori animi alacritate id ipsum præstamus, cum ad excitandum fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectæ disciplinæ in clero regimini vestro commisso, præsentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostræ omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si divini cultus augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis diocesis custodiam religiosæ vigilantiam pastorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

« I. Hujus porro epistolæ ad vos scribendæ occasionem Nobis atque argumentum in primis præbet onus illud quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi missam parochialem pro populo ipsorum curæ commisso: tum etiam applicatio missæ conventualis, quæ pro benefactoribus in genere faciendâ est ab iis qui missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur canonici prædictarum ecclesiarum choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in hujus almæ Urbis nostræ congreg. et potissimum in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. Rom. Eccl. Cardinalium concilii Tridentini interpretum, ejus secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit, quamvis earumdem congregationum decreta plerumque circa eam uniformia, et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam Pontificiam prædecessorum nostrorum approbationem, et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus encyclicam hanc epistolam ad vos scribere, per quam sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat, et fraternitatibus vestris quædam veluti norma ac regula suppetat, juxta quam synodales, aliasque vestras circa præmissa constitutiones, ordinationes seu edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum, juxta ea quæ in præsentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni qua decet sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obi-



cem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostræ Curie tribunalia forsitan habendi, utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus ac jubemus: quamobrem has ipsas litteras nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum, tam ipsorum tribunalium resolutiones, quam de vestris decretis, quæ ipsius præsentibus inhærentes edituri estis, judicia exigi et conferrî mandamus.

« II. Et quidem, quod nuper enuntiavimus, sacrosanctum missæ sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, id veluti ex divino præcepto descendens, a sacra Tridentina synodo diserte exprimitur sess. xxiv, cap. 1, *De reform.*, per hæc notabilia verba: « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre. » Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a sancta synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; cum tamen relata concilii verba satis clara et perspicua sint, cumque prædicta congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative præposita, constanter edixerit eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione elemosynam percipere posse; quodque magis interest, cum hæc intelligentia a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata, nihil jam amplius vili vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, nec non illius promptam executionem in vestris respective diocesis omni studio procurare debeatis.

« III. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus secretarii prædictæ congregationis Conc. Tridentini interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanæ cathedralis, partim in metropolitana Bononiensis patriæ nostræ dilectissimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transeimus, non, inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

« IV. Cum enim sacrum Tridentinum concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco episcopis mandet, ut quotiescunque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est in sess. vi, cap. 2, sess. vii, cap. 5 et 7; sess. xxi, cap. 6; sess. xxv, c. 16, non raro autem eveniat ut, aliqua ecclesia parochiali vacante, vicarius pariter ad implenda hujusmodi ecclesiæ opera usque ad novi rectoris electionem, ab episcopo deputari debeat, eodem concilio

Tridentino id jubente sess. xxiv, cap. 18, *De reform.*, nonnulli ex hujusmodi vicariis nituntur seipsos a prædicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium, seu alios residente, ipsi actualiter duntaxat exerceant: vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles: vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti: ut nihil hic loquamur de parochis regularibus, qui a prædicta applicatione missæ pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens nostra, et sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii sæculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes, et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni, æque teneantur missam parochialem applicare pro populo; ut præfertur, ipsorum curæ commisso.

« V. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent congruos sibi parochiæ suæ redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque prædecessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem, et confirmationem extendimus, et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica, iterum tenore præsentium decernimus, et declaramus, quod licet parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua, seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum diocesis, seu parochiis obtinuerit ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

« VI. Dum tamen diximus omnes animarum curam habentes missæ sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere volumus eosdem, aut quotidie, aut quotiescunque celebraverint, ad prædictam applicationem pro populo teneri; equidem sacrosancta Tridentina synodus sess. xxiii, cap. 14, præcipit episcopis curare ut sacerdotes saltem diebus Dominicis et festis solemnibus missarum sacra faciant: « Si autem curam habuerint animarum tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent; » in pluribus autem synodalibus episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum pastores missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præsentibus suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a congregatione Concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare, et applicare debere, eum vero qui uberioribus hujusmodi redditibus

non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum præstare teneri; cum tamen pariter Nobis perspectæ sint tum controversiæ super hoc ipso exortæ, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiæ parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adversus hujusmodi decretum tanquam plus æquo rigidum, excitatæ, Nobis innotescant: idcirco opportunum censem fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii qui animarum curam exercent, sacrificium missæ pro populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto, cum prædicti Domini, aliique festi dies ii sint in quibus juxta præceptum concilii Tridentini sess. v, cap. 2, et sess. xxiv, cap. 4, quilibet animarum curæ præpositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem sancta synodus statuit, ut « moneat episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei; » et quibus parochi subditos suos in doctrina Christiana erudire debent, juxta id quod a prædicto concilio in cit. cap. 4 episcopis præcipitur, ut nempe saltem « Dominicis et aliis festivis diebus pueros, in singulis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis ad quos spectabit doceri » curent.

« VII. Et quia in nonnullis diocesis numerus dierum festorum de præcepto de Apostolica nostra auctoritate, et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis Christianifideles et missam audire, et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi missæ sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis missæ parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus missæ interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare teneantur.

« VIII. Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex elemosynis, quas a fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam sub vicarii seu economi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia ægre ad eorum vitam necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet,

qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem velutum esset elemosynam pro applicatione missæ recipere. Idcirco Nos, tam istorum quam illorum inopiam summo opere miserantes, eisdemque quantum Nobis integrum est consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli prædicti teneantur diebus festis missam pro populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis hujusmodi elemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent; quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

« IX. Quod autem spectat ad vicarios sive economos ecclesiarum vacantium, cum a sacro Tridentino concilio, cit. sess. xxiv, cap. 18, cuilibet episcopo tribuatur facultas eos deputandi, et constituendi *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione*, vestrum erit, ven. fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudet, congruum aliquod augmentum præbeat pro onere celebrandi, et applicandi missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum cameræ nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna thesaurario nostro generali mandata dirigimus, quæ is denuntiare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus, cum quibus episcopi ecclesiasticæ nostræ ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

« X. Ac demum quoad illos qui tanquam vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus ecclesiæ parochialis, ipsorum ecclesiis, seu monasteriis, collegiis, aut locis piis olim unitæ, quamvis a recol. mem. prædecessore nostro S. Pio Papa V præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius constitutione, quæ incipit *Ad exsequendum*, data Kalendis Novembris MDLXVII distincte statuitur; nihilominus ubi præscripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre vicariis præ-